

## ITEM EPISTOLA PRAECEPTORUM SANCTI CLEMENTIS PAPAE MISSA IACOBO FRATRI DOMINI.

1 CLEMENS ROMANAE AECCLEsiae praesul Iacobo carissimo Hierosolimorum episcopo.

Quoniam sicut a beato Petro apostolo accepimus omnium apostolorum patre, 5  
 qui claves regni caelestis accepit, aequaliter tenere debemus de sacramentis,  
 quae geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere. Tribus enim gradibus  
 commissa sunt sacramenta divinatorum secretorum, id est presbytero, diacono et  
 ministro, qui cum timore et tremore clericorum reliquias corporis dominici  
 debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum 10  
 negligenter agitur, portioni corporis domini gravis inferatur iniuria. Communio  
 enim corporis domini nostri Iesu Christi, si negligenter erogetur, et presbyter  
 minora non curet admonere officia, gravi anathemate digna humiliationis plaga  
 feriat. Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere  
 debeant. Quod si remanserint, in crastina non reserventur, sed cum timore et 15  
 tremore clericorum et diligentia consumantur. Qui autem residua corporis  
 domini, quae in sacrario relictas sunt, consumunt, non statim ad communes  
 accipiendos cybos convenient, ne putent sanctae portioni commisceri cybum, qui  
 per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur mane dominica portio  
 editur, usque ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserint, et si tertia vel 20  
 quarta hora acceperint, ieiunent usque ad vesperum. Sic secreta sanctificatione  
 aeterna custodienda sunt sacramenta. De vasis sane sacris ita gerendum est:  
 altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta,  
 incendio dentur, quoniam non licet ea, quae in sanctuario fuerint, male tractari,  
 sed incendio universa tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, 25  
 ubi nullus transitum habeat, aut in pariete aut in fossis pavimentorum iacentur,  
 ne introeuntium pedibus inquinentur. Nemo per ignorantiam clericus palla  
 mortuum credat obvolvendum, aut diaconus scapulas operire velit, quae fuit in  
 altare aut certe, quae data est in mensam domini. Qui haec fecerit vel leviter  
 quasi nihil et negligenter habuerit divina ministeria, diaconus triennio sexque 30  
 mensibus a dominico alienus erit altari gravi percussus anathemate. Quod si  
 clericum presbyter non commonuerit, decem annis et quinque mensibus  
 excommunicatus sit, propter quod de dominicis sacramentis subiecta sibi non  
 commonuerit ministeria, et postea cum grandi humilitate matri reconcilietur  
 ecclesiae. Pallas vero et vela, quae in sanctuario sordidata fuerint ministerio, 35  
 diaconi cum humilibus ministris intra sacrarium lavet non eicientes foras a  
 secretario velamina dominicae mensae, ne forte pulvis dominici corporis male  
 decidat, a sindone foris abluto, et erit haec operanti peccatum, idcirco intra  
 sacrarium ministris praecipimus haec sancta cum diligentia custodire. Sane  
 pelvis nova comparetur, et praeter haec nihil aliud tangat. Sed non ipsa pelvis 40

6 accepit] *corr. from* accipit V. 8 divinatorum] *corr. from* divinarum V. 11–12 gravis ... domini] *add. in* marg. V. 18 commisceri] *corr. from* commiscere V. 19 aqualiculos] *in marg.:* ventriculos V. digestus] *corr. from* degestus V. 24 tractari] *corr. from* tractati V. 31 anathemate] *in marg.:* Gl. perditione V. 35 Pallas] *in marg.:* Gl. vestis superior V. 39 sacrarium] *corr. from* sacrum V. 40 pelvis<sup>1</sup>] *in marg.:* pelvis, vas ad pedes lavandos V.

3–10 Clemens ... inveniatur: *Clem. I, J<sup>3</sup> †27 (MIGNE PL 56 col. 893).* 5–6 sicut ... accepit: *cfr Matth. 16, 18–19.* 10–14 ne<sup>2</sup> ... feriat: *cfr Clem. I, J<sup>3</sup> †27 (MIGNE PL 56 col. 893).* 14–62 Certe ... sola: *ibid. (col. 893–895).* 27–29 Nemo ... domini: *cfr Clermont, c. 3 (DE CLERCQ, CC 148A p. 106 l. 31–32); Auxerre, c. 12, 13 (DE CLERCQ, CC 148A p. 267 l. 40–43).*

velis apponatur lavandis, quae ad dominici altaris cultum pertinent; palle altaris  
 solae in ea laventur. De velis autem ianuarum cura sit ostiariis ex admonitione  
 maiorum, ne quis negligens aut ignarus ad velum ianuae domus domini manus  
 incondite tergat, sed statim coercitus discat omnis homo, quia velum domus  
 45 domini sanctum est. Praecipimus etiam, ne cum extero ecclesiae sive laico de  
 fragmentis oblationum domini ponatur ad mensam. Unde scis tu, qui passim  
 sacrarii panes indignis impendis, unde nosti, si a mulieribus mundi sunt? Hinc et  
 David ab Abimelech sacerdote interrogatus, cum panes sibi ad comedendum  
 posceret, si mundus esset a muliere, cum se mundum ante triduum profiteretur;  
 50 panes propositionis manducavit. Ad dominica autem mysteria tales eligantur, qui  
 ante ordinationem coniuges suas noverint. Quod si post ordinationem ministro  
 contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec  
 sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti  
 oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat, nec aquam  
 55 sacerdotibus porrigat ad manus, sed ostia forinsecus claudat, minora gerat  
 officia, urceum sane calicem ad salutare non sufferat. Si forte quispiam presbyter  
 sive diaconus sacrarii sindonem vel velum subtracta vendiderit, Iudae similis  
 aestimabitur Scariothis. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, noverit se  
 60 supradicti Iudae suscepturum poenam. Clericus vero solus ad feminae  
 tabernaculum non accedat nec properet neque sine maioris natu principis  
 iussione.

Nec presbyter solus cum sola femina fabulas misceat, nec archidiaconus aut 2  
 diaconus sub pretextu humilitatis officii frequentet domicilia matronarum aut  
 forte per clericos aut domesticos eius matronae mandent secretim aliquid. Si  
 65 cognitum fuerit, et ille deponatur et illa a liminibus arceatur ecclesiae. Sed si forte  
 aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire,  
 pro interventu ipse pergat. Sin autem, de latere suo dirigat, cum duobus aut tribus,  
 qui hoc debeant sanare. Sane ad visitandam mulierem infirmam nullus clericus  
 ingrediatur, nisi cum duobus aut tribus.

Nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi soror aut proxima fuerit, et hoc 3  
 cum magna sollicitudine fiat. Non ignoramus malitias satanae. Universa haec  
 cum mansuetudine ecclesiastica complenda sunt ministeria. Negotium enim dei  
 non decet negligenter expleri. Iterum atque iterum de fragmentis domini corporis  
 demandamus. Calicem vero ad perferendum sanguinem domini praeparatum cum  
 75 tota ministerii munditia minister praeparet, ne non bene lotus calix diacono  
 peccatum fiat offerenti, ita cum omni honestate cuncta, quae supra exposuimus,  
 oportet impleri. Tales ad ministerium eligantur clerici, qui digne possint  
 dominica sacramenta tractare. Melius est enim domini sacerdoti paucos habere  
 ministros, qui possint digne opus dei exercere, quam multos inutiles, qui onus  
 80 grave ordinatori adducant. A principio epistolae usque hunc locum de

48 ab] over erasure V. 50 propositionis] corr. from propositiones V. 57 sindonem] in marg.: Gl.  
 velamen lineum feminarum V. 67 suo] corr. from suae V. 74 Calicem vero] in marg.: Ut sit calix  
 domini mundus, ne minister incurrat peccatum V. 80–81 A ... intuendi] in marg.: Gl. V.

47–50 Hinc ... manducavit: cfr I. Reg. 21. 62–69 Nec ... ingrediatur cfr Conc. Afr., c. 5 (Dion.-Hadr.)/  
 Reg. eccl. Carth. exc., c. 38 (PITHOU, Codex Canonum<sup>2</sup>1687, p. 144b; MUNIER, CC 149 p. 184 l. 84–92).  
 See also Ben. Lev. III, 28 (SCHMITZ, libIII.pdf p. 8 l. 4–10). 70–85 Nemo ... clericorum<sup>1</sup>: Clem. I, J<sup>3</sup> †27  
 (MIGNE PL 56 col. 895). 70–71 Nemo ... fiat: A widely repeated prohibition: e.g. Carthago III, c. 17;  
 Carthago IV, c. 46 (MUNIER, CC 149 p. 332f. l. 120–127, p. 348 l. 226f.); Agde, c. 10 (IDEM, CC 148 p. 199f.  
 l. 152–159). 71 Non ... satanae: cfr 2. Cor. 2, 11.

13r sacramentis delegavit bene intuenti, ubi non murium stercora inter fragmenta dominicae portionis appareant, neque putrida per negligentiam remaneant clericorum, et convenientes, qui accipere sibi medicinam desiderant, putrida, cum viderint, magis cum ridiculo et fastidio videantur accipere et in peccatum magis decidant per negligentiam clericorum. Quapropter nemo clericorum ultra haec dissimulet aut negligere ullatenus audeat, sed libenter, quae iussa sunt, expleat, et sacramenta divina nequaquam negligenter contrectet. 85

4 Ideoque tam iuvenes quam senes de his et de omni conversatione sua ac conversione et paenitentia valde esse sollicitos satisque agere, ut haec condigne agant, et de reliquo ornent tam clerici quam saeculares animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pudicitiae, splendore iustitiae, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem mentem. Tum praeterea declinare a consortiis inhonestis et infidelibus et societates habere fidelium atque illos frequentare conventus, in quibus de pudicitia, de iustitia, de pietate tractatur. Orare semper deum ex toto corde et ab ipso petere, quae decet, ipsi gratias agere, veram penitudinem gerere praeteritorum gestorum, aliquantulum etiam, si possibile est, per misericordias pauperum iuvare paenitentiam. Per haec enim facilius venia dabitur et indulgenti citius indulgetur. Quod si provecioris aetatis sit is, qui ad paenitentiam venit, eo magis gratias agere debet deo, quod, postquam fractus est omnis impetus concupiscentiae carnalis, scientia veritatis accepta nulla ei imminet pugna certaminis, per quam insurgentes adversus animam reprimat corporis voluptates. Superest ergo ei in agnitione veritatis et misericordiae operibus exerceri, ut afferat fructus dignos paenitentiae nec putet, quia in temporis longitudine documentum conversionis ostenditur et non in devotionis ac propositi firmitate. Deo enim manifestae sunt mentes, qui non temporum rationem colligit, sed animorum. Ipse enim probat, si, quis agnita veritatis praedicatione non distulit neque tempus negligendo consumpsit, sed statim et, si dici potest, eodem momento praeterita perhorrescens futurorum desiderium coepit et in amorem regni caelestis exarsit. Propter quod nemo vestrum ultra dissimulet nec retro respiciat, sed ad evangelium regni dei libenter accedat. Non dicat pauper, quia, cum dives factus fuero, tunc convertar. Non requirit a te deus pecuniam, sed animum misericordem et piam mentem. Neque dives conversionem suam differat pro sollicitudine saeculari, dum cogitat, quomodo dispenset abundantiam frugum. Neque dicat intra semetipsum: Quid faciam? Ubi recondam fructus meos? Neque dicat animae suae: Habes multa bona reposita in annos multos, aepulare et laetare. Nam dicetur ei: Stulte, hac nocte aufertur abs te anima tua, et quae parasti, cuius erunt? Itaque festinet ad paenitentiam omnis aetas, omnis sexus omnisque conditio, ut vitam consequatur aeternam. Iuvenes quidem in eo grati sint, quod in ipso impetu desideriorum cervices suas iugo subiciunt disciplinae. Senes et ipsi laudabiles, quia multi temporis consuetudinem, in qua male praeventi sunt, pro dei timore commutant. Nemo ergo differat, nemo cunctetur. Quae enim causa cunctandi est ad bene agendum? 90 95 100 105 110 115 120

106 mentes] *over erasure* V. 117 hac] *corr. from ac* V. 120 sint] *corr. from sunt* V. 121 Senes] *corr. from sanes* V. 123 cunctetur] *corr. from conctetur* V.

88–123 Ideoque ... agendum: *Clem. I, Rec. X, 43, 3–46, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 354 l. 8–p. 355 l. 20).*

88–93 Ideoque ... mentem: *Also in Ps.-Clem. I, J<sup>3</sup> †30.* 104 afferat ... paenitentiae: *cfr Matth. 3, 8; Luc. 3, 8.* 115–116 Quid ... meos: *cfr Luc. 12, 17.* 116–117 Habes ... laetare: *Luc. 12, 19.* 117–118 Stulte ... erunt: *Luc. 12, 20.*

125 *Animus male sibi conscius, dum videtur sibi nullam poenam pati, credit, quia* 5  
*non iudicet deus, cum abuti patientia dei et non intellegere parentis*  
*benignitatem iam sit magna dampnatio. Unde scriptum est: Maledictus omnis,*  
*qui opus dei neglegenter agit. Quapropter pastoralis ordinis est infatigabiliter*  
*revocare, quicquid ad correctionem populorum, immo magis filiorum spiritualium,*  
130 *quantum est fas, intellegere, cognoverit pertinere, et non, quod absit, cum suo*  
*periculo alienae spei, per solam negligentiam facere detrimentum, sed quod ad*  
*generalis salutis spectat compendium, salubri necesse est providere tractatu.*  
*Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere vel augere*  
*male loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit. Ecce oris*  
135 *nostri bucina ad aures omnium personamus, neque se deinceps excusabit non*  
*monitum; quicquid sequi debeat, tam verbis quam litteris edocetur.*

*Qualis autem condempnatio et qualis imminet maledictio eis, qui in patres* 6  
*peccant, divina nos docet scriptura. Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum*  
*suum patrem, quoniam non cooperuit patris corporalis nuditatem, sed egressus*  
140 *nuntiavit eum fratribus, et illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham et* 13v  
*illi, qui ex eo nati sunt, sub maledicto facti sunt, qui autem cooperuerunt,*  
*magnam benedictionem meruerunt. Multo magis isti maiore et ampliore*  
*condempnatione digni sunt, qui patribus obviare aut contra eos insurgere nituntur*  
*aut INIURIAM VEL CONTUMELIAM eis inferre moliuntur, quoniam, QUI his resistit,*  
145 *deo resistit, et qui eis INIURIAM VEL CONTUMELIAM facit, deo, CUIUS LEGATIONE*  
*FUNGUNTUR, facit. Expavit caelum super hoc et horruit amplius vehementer, dicit*  
*dominus: O intolerabilem malignitatem, o linguam loquentem iniquitatem contra*  
*deum et mentem in altitudinem cornu extollentem! Et iterum: Inpone, homo, tuae*  
*linguae ostium et seram. Cessa cornu in altitudinem extollens et loquens adversus*  
150 *deum iniquitatem et proximum tuum. Quousque insultas patienti Christo et*  
*fratribus?*

Haec nos familiariter docebat et haec nobis publice praedictus magister et 7  
instructor atque ordinator noster princeps apostolorum Petrus in ecclesia  
praedicabat *exemplum dans, ut et nos similiter faciamus. Humiliamini, inquit, in*  
155 *conspectu domini, et exaltabit vos. Nolite detrahare alterutrum, quoniam, qui*  
*detrahit fratri, aut, qui iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem. Qui*  
*autem iudicat legem non est factor legis, sed iudex, unus est enim legislator et*  
*iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?*

132 religioso] *corr. from regio V.* 139–140 ipse ... cooperuerunt] *add. in marg. V.* 140 cooperuerunt]  
coop- over erasure V. 142 condempnatione] *corr. from condemnatione V.* 151 publice] *corr. from*  
*publice V.*

124–126 Animus ... dampnatio: *Prosp. Aquit., Sent., s. 138 (GASTALDO, CC 68A p. 288).* 126–127 Male-  
dictus ... agit: *cfr Ier. 48, 10.* 127–131 pastoralis ... tractatu: *Ep. episc. prov. Turon. ad pleb. (DE CLERCQ,*  
*CC 148A p. 197 l. 1–6); 127 pastoralis replaces pontificalis in the source.* 132–133 Homini ... studuerit:  
*Prosp. Aquit., Sent., s. 180 (GASTALDO, CC 68A p. 299). Also in Ps.-Calixt., J<sup>3</sup> †160.* 133–135 Ecce ...  
edocetur: *Ep. episc. prov. Turon. ad pleb. (DE CLERCQ, CC 148A p. 197 l. 15–17).* 136–142 Qualis ... sunt:  
*Iustinian., Edictum rect. fid. (SCHWARTZ/AMELOTTI, Drei dogmatische Schriften p. 159 [101]*  
*l. 17–23).* 142–145 qui ... facit: *cfr Form. Ps. Cuius vice funguntur.* 145–149 Expavit ... Christo:  
*Iustinian., Rect. fid. conf., XIII (SCHWARTZ, Abh. München NF 18 p. 107 l. 12–17). Also in Ps.-Clem. I, J<sup>3</sup>*  
*†26.22.* 145–146 Expavit ... dominus: *cfr Ier. 2, 12.* 146–147 linguam ... extollentem: *cfr Ps. 74,*  
*6.* 147–148 Inpone ... seram: *cfr Ecclus. 28, 28.* 148–149 Cessa ... deum: *cfr Ps. 74, 6.* 153 exemp-  
lum ... faciamus: *cfr Ioh. 13, 15.* 153–157 Humiliamini ... proximum: *Iac. 4, 10–12.*

Non oportet, praecepit, nos iudicare in invicem, sed magis auxilium ferre. Vae erit, inquit, his, qui fratres tribulant, et eis, qui eos persecuntur. Vos autem, quanto amplius tribulamini, tanto purgatiores atque beatiores efficiemini, si tamen ipsa tribulatio patienter fuerit subportata. Quod etiam ipse nos dominus docuit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Et idem: *Beati eritis, cum vos oderint homines et persecuti vos fuerint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra multa est in caelo*. Unde et ipse ait: *Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut te ipsum*. Non enim, inquit, diligit recte deum, qui fratrem insequitur, nec diligit proximum, qui ei detrahit, vel qui illum accusat, quia, *QUOD SIBI quis FIERI NON VULT, hoc ALTERI Nullatenus FACere debet*. *Discite, inquit, filii mei, sapientiam et tenetote fidem rectam et amplectimini caritatem, ut non excidatis. Data est enim vobis a domino potestas et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur vestras. Qui autem custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur et, qui crediderint iusta, invenient, quid respondeant*.

- 8 Semper cavetote quae praecepit, ne aliquando peccato consentiamus et praetermittamus praecepta dei nostri. Ecclesias per congrua et utilia facite loca, quae divinis precibus sacrare oportet et in singulis sacerdotes divinis orationibus deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet et non a quoquam gravari. 175
- 9 Semper vitate mala, et pro animabus vestris ne confundamini dicere verum. Mendacia fugite et veritatem corde proferte, quoniam multos iam supplantavit suspicio. Caritatem semper diligite et fratres adiuvate. Erunt enim, quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt vobis. Unde et dominus ait: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum, qui me misit*. Et idem: *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et qui scandalizaverit unum ex pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum, bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eice eum, bonum est tibi luscum introire in regnum dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, ut supra. Omnis enim igne salietur et omnis victima salietur. Bonum est sal, quod, si sal insulsum fuerit, in quo illud salietis? Habete in vobis sal et pacem habete inter* 180 185 190 195

158 praecepit] *corr. to non praecepit V.* 160 quanto] *corr. from quanti V.* 173 invenient] *corr. from inventiant V.* 174 quae] *add. over line V.* 179 supplantavit] *corr. from supplicavit V.* 186 ei] *corr. from enim V.*

158 Non ... ferre: *cfr Matth. 7, 1; Luc. 6, 37; Rom. 14, 13.* 158–161 Vae ... subportata: *cfr 2. Thess. 1, 6–7; Ps. 118, 157; Matth. 5, 10; 1. Petr. 3, 14. Also Ps.-Alex. I, J<sup>3</sup> †49; Ps.-Felix I, J<sup>3</sup> †290.* 162 Beati<sup>1</sup> ... iustitiam: *Matth. 5, 10.* 162–164 Beati<sup>2</sup> ... caelo: *Luc. 6, 22–23; 164 est is a variant of (among others) the Alcuin Bible.* 165–166 Diliges ... ipsum: *Marc. 12, 30, 31.* 166–168 Non ... accusat: *cfr 1. Ioh. 2, 10–11; 3, 14–15; 4, 20.* 168–169 quia ... debet: *cfr Form. Ps. Quod sibi non vult.* 169–170 Discite ... excidatis: *cfr Sap. 6, 10.* 170–173 Data ... respondeant: *Sap. 6, 4, 11.* 178 Semper ... verum: *cfr Ecclus. 4, 23–24.* 179–180 quoniam ... suspicio: *cfr Ecclus. 3, 26.* 180–181 Erunt ... contradicunt: *Isai. 41, 11.* 181–182 Qui ... misit: *Luc. 10, 16.* 183–197 Qui ... vos: *Marc. 9, 39–49.*

vos, quia, quisquis vestrum recte docuerit et iuste vixerit, habebit gloriam. Qui autem secus egerit, indubitanter poenam sustinebit, ideo bona agere vos semper oportet, ut *bravium* aeternae vitae percipiatis.

- 200 *His ergo bene parete sententiis, ne quis haec praecepta minime credat* 10  
*implenda et iudicio dei ignis aeterni tormenta sustineat, quia aecclesiastici operis* 14r  
*sacra neglexerit. Haec igitur, frater Iacobe, de ore sancti Petri iubentis audivi. Si*  
*quis haec precepta non integra custodierit, sit anathema usque ad adventum*  
205 *domini nostri Iesu Christi. Haec praecepta a sancto Petro apostolo accepi et tibi,*  
*karissime frater, insinuare curavi, ut servare omnia praecipias sine macula. Si*  
*quis vero audierit te, utilis erit minister Christi Iesu. Qui autem non audierit te,*  
*immo loquentem deum per te, ipse sibi dampnationem accipiet.*
- Omnipotens deus, carissime, sua te protectione custodiat, atque ad caelestis* 11  
*remunerationem patriae multiplici animarum fructu perducatur.*
- 210 *Deus te iterum iterumque incolumem custodiat, reverentissime frater. Amen.* 12  
 EXPLICIT.

198 secus] *in marg.*: aliter V.

199 bravium ... percipiatis: *cfr Philipp. 3, 14.* 200–202 His ... audivi: *Clem. I, J<sup>3</sup> †27 (MIGNE PL 56 col. 895).* 202–207 Si ... dampnationem: *Clem. I, J<sup>3</sup> †27 (MIGNE PL 56 Sp. 895f.).* 208–209 Omnipotens ... perducatur: *Gregory I, Reg. ep. IX, 228, J<sup>3</sup> 2875 (NORBERG, CC 140A p. 804f. l. 64–66).* 210 Deus ... frater: *Gregory III, J<sup>3</sup> 3853 (TANGL, MGH Epp. sel. I p. 74 l. 7f.: n. 45).*